

1767.

1. Bodinus, Henricus : De jure collectaneum eius.
2. Bodinus, Henricus : Dissertationem meam iuris iuris que
Pipperatio iuri statutarii Stephanus et iure ciuilic
evidenter . . . publicae . . . disputationi submittit.
- 3^o Bodinus, Henricus : De stata rei publicae Germanicae
fundi.
- 3^o Boden, Henricus, Jr. : De stata rei publicae Germanicae
fundi et fundis regibus. 1752
- 4^o Bodinus, Henricus : De libris mercatorum suspectis.
2 Jan. 1707-1724.
- 4^o Bodinus, Henricus : De libris mercatorum suspectis Ed. 3.
- 5^o Bodinus, Henricus : De errore communis circa crastis.
nos, quae in scriptis conficiuntur.
- 5^o Boden, Henricus, Jr. : De errore communis circa demissis,
quae in scriptis conficiuntur
6. Bodinus, Henricus : Dissertationem iuris iuris, iuris, anticas.
selectas conclusiones iuriis controver.

7^ast Bochmer, Iohes Henricus: De observationis celestinae
1707, 1723 & 1736

8. Bochmer, Iohes Henr.: Novis directis et obliquis

9^and Bochmer, Iohes Henr.: Reconciliis absque testibus
validis - 4 Sculp. 1700, 1732, 1736 & 1744.

10^and Bochmer, Iohes Henr.: Decollisione probabonum
5 Sculp. 1707, 1738 & 1761.

K. G. Miller de cure collectando non cures.

F. 74. num. 2.

17

THESES INAUGURALES
DE
**STATU REIPUBLICÆ GERMANICÆ
FEUDALI.**

ET FEUDIS REGALIBUS,

QVAS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPĒ BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEB. GUBER-
NATORE, RELIQA,
CONSENTIENTE ILLUSTRI JCTORUM ORDINE,
IN REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

DN. HENRICO BODINO,
REGIM. ECCLES. IN DUCATU MAGDEB. CONSIL.
REGIO GRAVISSIMO, ET PROF. JUR. CELEBERRIMO.
PATRONO AC PROMOTORE SUO VENERANDO.

PRO LICENTIA

Summum in JURE Gradum, atque Privilegia DOCTORUM
rite consequendi,

d. IN AUDITORIO MAJORI
Octobr. A. MDCCVII. horisante & pomeridianis
Publico Eruditorum judicio submittit

AUTOR.

M. DIETERICUS HERMANNUS KEMMERICH,
MARCHICUS.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TY





PRÆFATIO.



Heses, B. L. Disserta-
tionis loco, quam actui Inaugu-
rali destinaveram, examini tuo, &
benevolo judicio submitto. Sci-
licet ita me institui in conscriben-
da hac dissertatione, ut primò
theses sisterem, succinctè rem ob-
oculos ponentes, deinceps demonstrationem & quasi
commentarium singulis thesibus subjicerem, quò &
brevius dicta uberioris dilucidiusque exponerentur, &
adductis rationibus Autorumque testimoniis firmaren-
tur. Mature sensi, in molem justo majorem, & quæ
Dissertationis limites fortè excederet, commentatio-
nem hoc pacto excrescere, & multa etiam curatiorem
diligentioremque meditationem sibi exposcere, quām
cui angustia temporis, elaborationi destinata, suffice-
ret. Vīsum igitur est, solas primum theses exhibere,
& primas quasi lineas ducere, deinceps si qua fortè ob-
servata fuerint atque collecta, quæ ad illustrandum ar-
gumentum facere queant, justo volumine complecti.
Extant equidem doctissimorum virorum in hoc gene-
re lucubrations, & cum primis Iteri, Vixi Cl. de Feu-

A 2

dis

dis Imperii commentatio eruditis se se commendavit.
Nihilominus forte supersunt in nobilissimo ac gravissi-
mo argumento, quæ & aliorum industriam exercere
queant, & vel addi, vel in clariore luce poni merean-
tur. Ceterum hoc etiam advertendum duxerim, in
exponenda feudorum Regalium ratione primò omni-
um ad publicas Imperii constitutiones respiciendum,
deinceps ad domestica cujusque gentis pacta atque lit-
teras feudales, porro ad observantiam Imperii, atque
mores Germanorum, qui vel ex duplice Juris *Germani-
ci Speculo*, atque *Jure feudali Saxonico & Alemanno*,
quod Schilterus edidit, vel rectius forte ac tutius ex ge-
nuinis Historiarum monumentis, & Scriptoribus coæ-
vis addiscuntur; siquidem isthæc Germanici juris vo-
lumina jam Longobardici nonnihil ad mixtum habere
nonnullis videntur. Equidem *Jus Longobardicum*, quod in
subsidium publice receptum est, non utique rejicien-
dum puto, sed caute tamen adhibendum, & cum cu-
ra ad Feuda cumprimis Regalia Reip. Germanicæ ap-
plicandum; ne vim inferamus moribus nostris: cum
non exiguum sæpe discrimen Longobardica inter &
Germanica feuda, & publicum utriusque Gentis sta-
tum, observatum fuerit. Quod reliquum est, si quid
forte erratum, aut rectius curariusque dicendum
fuerit, illud omne, admonitus, secundis curis, studio-
sius emendabo, dictorum interea benignam mihi ab
humanitate tua, B. L. interpretationem
promitto. Vale.

CAP. L

CAP. I.

De,

ORIGINE STATUS FEUDALIS IN REPUBLICA GERMANICA.

Συνοψις.

I. Franci Romanorum instituta sequuntur. II. Feudorum vestigia apud Romanos. III. Feudata in Germania à Francis orta. IV. Triplex bonorum genus in Germania: Allodium, Fiscus, Feudum, seu Beneficium. V. Franci terras Regni Officialibus ac Ministerialibus beneficij loco dedere. VI. Regalia apud Francos quibus competierint. VII. Regalia etiam à Francis in Feuda concessa. VIII. Quibus gradibus feuda Regalia ad fastigium evella fuerint. IX. Quibus temporum intervallis incrementa sumserint. X. Fundamentum & origo Status Reip. Germ. Feudalis Feuda Regalia.

Thesis I.

Franci Remp. suam formantes, negotiisque civilibus justum ordinem ac modum statuentes, Romanorum instituta ac mores plarimis in rebus sequuti sunt. Id quod vel Ducum Comitumque, quos Provinciis regendis præfecerunt, exemplo colligere licet.

Th. II.

Prima feudorum incunabula nec obscura vestigia apud Romanos observare licet: quippe qui Ducibus & Comitibus, Provinciarum Gubernatoribus, cumpromis limitur: custodibus, agros, villas, oppida, sub fidei ac servitii lege dedere: non tamen fendi, sed beneficii, nomine.

Th. III.

In Germania Francis idem ferè institutum usu re-

A 3 ceptum

ceptum fuit, idemque primi meritò inter Germanos feudi conditores habentur. Siquidem Reges Francorum, more, ut videtur, Romanorum, prædia bello acquisita Ducibus militibusque concessere, idque beneficiario jure, sub fidei ac servitii lege. Quamvis vocabulum feudi ipsis æque ac Romanis incognitum fuerit.

Th. IV.

Duplex igitur rerum ac bonorum genus, vel, si mavis, triplex, in Germania olim dabatur: *Proprietas* seu *Allodium*; & *Beneficium*, seu *de munere Regio*, quod postea *Feudum* dictum. Utrumque prædium ab initio erat, sed dispar utriusque origo ac indoles. *Allodii* quidem, sicut & ipsis Nobilitatis, origo è statu Germaniæ libero: *Feudi* verò à temporibus erecti Regni, & instituto Francorum derivanda. Illud ab omni alieno dominio liberum, hoc verò dominio alieno obnoxium erat. Illud vel propria industria partum, vel hereditate paterna acquisitum, proprio jure possidebatur: hoc non nisi munere ac beneficio Regio ad possessorem pervenerat, eundemque ad fidem & servitia Regno obstrictum tenebat. Sed & tertium bonorum genus observare licet, ab utroque diversum; quod *Fiscus* medii ævi scriptoribus audit, cuius & proprietas & fructus, sive redditus omnis ad Regem Regiosque usus spectabat. Ex *fisco* verò *beneficia*, seu *feuda*, prognata sunt. Nisi malis feuda sub fisci nomine complecti: id quod à Merovingicæ pariter ac Carolingicæ ætatis ratione haud alienum videtur.

Th. V.

Erant autem Francorum feuda vel *Aulica*, vel *Judicalia*, vel *Militaria*. Scilicet hæc beneficiorum ratio obtinebat. Franci terras Regno quæstas Fidelibus Regni, qui vel officia Regni in palatio ac provinciis ge-

re-

reabant, vel ministeria militiae ac aulæ præstabant, cum fructu quodam ad fideles redundantem administrandas vel possidendas dedere: non tamen sine differentia quodam. Alias enim ita dedere, ut reditu quidem, vel reditus parte, quasi loco salarii, & ad sustinendam dignitatem ac familiam, fideles a Rege constituti uterentur, terræ verò Regio fisco immediate adscriptæ essent, qualis Alemanniæ & Westphaliæ, quin & ipsius Franciæ Rhenensis conditio fuit. Alias verò ipsi devictis, sacramenti religione sibi obstrictis relinquebant: quales Regno non nisi mediatae, immediate Ducibus ac Magistratibus propriis obnoxiae erant. Quod Bojoariorum & Saxonum Ostphalorum exempla confirmant.

Th. VI.

Jura Majestatis, Regalia Longobardis dicta, in Regno Francorum non Regi solum competebant, sed & Optimatibus & Populo, non quidem singulis, sed universis, summo tamen omnibus & independenti, quamvis inæquali, jure attribuenda. Rex ceu Caput insigni prærogativa gaudebat, at universa Majestas non nisi in corpore ex Capite & Membris composito, Animæ instar, residebat.

Th. VII.

Franci non solum terras, sed & Regalia, hoc est honores, dignitates, & officia cum jure ac potestate conjuncta, fidelibus Regini beneficil loco dabant. Exercitium enim Regalium vel independens est, quod in comitiis locum habebat, vel dependens, quod officialibus Regni Ducibus & Comitibus in secularibus, in sacris Episcopis, jure feudi concessum erat. Erant igitur Dukes

CAP. I. DE ORIGINE STATUS FEUDALIS.

ces & Comites, nec non Episcopi Regalium participes jure independenti in Comitiis, jure dependenti in officiis & Provinciis concreditis. Priori nomine Status, ac ordines Regni: posteriori fideles Regni ac Vasalli, seu officiales salutandi.

Th. VIII.

Sed gradibus quibusdam aucta fuit officialium potestas, & ad sublime territorii jus per vices temporum evecta. Tenuiora equidem initia erant. Magistratum jura obtinebant Duces & Comites, Regis administrari, usufructu terrae concredita pro salariis gaudebant. Successionis nullum jus, nisi Regis beneficio. Duces haud alii erant, quam belli præfecti, sine jurisdictione & imperio civili, Comites verò Pagorum judices. Nec Episcopis nisi sacri officii ratio constabat, præter eos, qui Cancellariae officiis præerant. Sed mox alia rerum facies. Primum opibus aucti Duces multa sibi bona compararunt, & complures etiam comitatus in suam potestatem redegerunt. Deinde plura sibi jura arrogarunt, quam ab initio concessa. Integras enim provincias, ex pluribus comitatibus conjunctas, civili pariter & militari imperio, administrarunt, non suis quidem auspiciis, sed jure regni. Episcopi etiam non amplis solùm prædiis, sed & Regalibus, immo integris Ducatis Regum beneficio ornati. Crevit animus simul cum opibus ac potentia, reverentiam erga Regem subinde exuerunt, majori cum libertate terras administrarunt, & suo magis, quam Regis arbitrio ac nomine jura concessa exercere coeperunt. Porro quæ ad tempus mandata fuerant munera, & perpetua & hereditaria fecerunt. Tandem & omnia Regalia, & libe-

re

rè proprioque & hereditario jure sibi vindicarunt. Atque tunc demum *Fœda Regalia* eam naturam induerunt, quam hodie habent, quæ cum Superioritate Territoriali conjuncta est.

Th. IX.

Tempora quoque discernenda. Scilicet Francis utriusque stirpis regnantibus ea rerum facies, quam supra initio præcedentis Thes. descripti. Vicaria erat fidelium ac præfinita potestas, & Regum voluntate beneficioque terræ cum officiis, officiorumque fructu, conferabantur. Quamvis ultima Merovingorum pariter, ac Carolingorum tempestate ad majora creverint, atque opum non minus ac jurium amplitudine mirifice autem fuerint, multaque adeò supra conditionem captaverint. Extincta Carolingorum regnatrice domo, in partes abeunt juris publici nostri Interpretes. Alii, sui juris factos Duces unà cum provinciis suis, atque vinculo subjectionis solutos, contendunt, electo novo Regi feudorum instar provincias obrulisfe, reservato sibi superiori tatis jure. Alii, pristina Carolinæ etatis jura unà cum Carolini Imperii successore rediisse statuunt, quantum per pacta esse mutata non docentur, atque Dukes regionū Dominos non nisi sensim & via facti tere, nolentibus volentibus Regibus ac Imperatoribus, ad istud fastigium contendisse, donec ultrò tandem concederint, quæ servare amplius non potuerint Cæsares, atque deinceps accedente suo consensu, optimo max. jure potentiam ac opes Principum stabiliverint. Sed hæc specilius disquirenda secundis curis servabo.

Th. X.

Cæterum ex his omnibus, probé subductis ratio-

B

ni-

nibus, facile liquet, præsentis Reip. Germanicæ statutus originem ac præcipuum fundamentum Feuda esse Regalia, & inter ceteros nexus ac vincula, quibus Imperator & imperii status inter se colligantur, non exigi momenti esse nexus feudalem. Cujus adeo jura & rationes specialius exponere ac perlustrare opera pre-tium fuerit

CAP. II.

DE

FEUDIS REGALIBUS REI-PUBL. GERMANICÆ.

Tovofig.

I. **D**efinitio Feudi Regalis Germanici, Essentialia & Naturalia. II. Divisio Feudorum Regalium L. in Ecclesiastica & Secularia. III. 2. in Nova & Antiqua. IV. 3. in Propria & Impropria. V. 4. In Masculina & Feminina seu Promiscua. VI. 5. in Data & oblata. VII. Jus conferendi F. R. & investiendi de iis cui competat. VIII. Quinam F. R. capere possint. IX. X. Res que in F. R. dari possint. XI. Modi acquirendi feuda R. originarii. XII. Confectarium de Ex-pedientia. XIII. Prescriptio Feudorum R. XIV. Successio in F. R. XV. Successio quando obtingeat. XVI. Jus Primogenitura. XVII. Apanagium. XVIII. Alii successonis modi. XIX. electoratus an divisibilis XX. Testamento de Feudis R. XXI. Successio ex pacto, Patrum Confraternit. & Generbinatus. XXII. Modi acquirendi F. Ecclesiastica & Electio & Postulatio. XXIII. Investitura. XXIV. Jus Imperatori & Imp. nec non Vasallia in Feudis R. competens, & obligatio inde resultans. XXV. Jurainspecie Vasalli. XXVI. Fides & servitia à Vasallo prestanta. XXVII. Modi amittendi & extinguendi F.R. XXVIII. Judicium Feudorum R.

Thesis I.

Th. I.

FEUDUM REGALE Germanicum est jus exercendi Regalia in Territorio competens, proprium quidem, sed non prorsus independens, ab Imperatore & Imperio Civibus Imperii concessum, vel per Investituram confirmatum, cum obligatione fidei atque officii Imperatori & Imperio praestandi coniunctum.

EXEGESIS.

I. **H**ic quoniam fundamenta totius Dissertationis ponuntur, Exegesis quoque subjicienda est, ac definitionis propositae rationes uberioris exponenda. Vulgo definiunt *Feuda Regalia*, *Feuda ab Imperatore vel alio superiore non recognoscente cum dignitate Regali concessa*, *Wurmser de feud. impr. class. 2. Sect. 1. num. 30. Litteris contra rectius fortè & ad mores nostros accommodatiū dici existimat F. R. esse feuda, que ex presumta investiture Principis voluntate, nisi aliud quid obstat *Vasallum ejusque legitimos descendentes regali dignitate ornant*. Paulò aliter *Schwederus*: *F. R. dicuntur, quorum concessione ex potestate & voluntate concedentis investitis Regalis dignitas conferatur.* Quæquidem definitiones Feudorum Regalium naturam nondum satis dilucide atque accuratè ob oculos ponere videntur.*

II. Certe si ad mores *Longobardicos* respiciamus, à quibus Feudorum Reg. appellatio manavit, Feuda Reg. dicebantur, non tam quod dignitatem quandam coniunctam habebant, quam quod proximè à Rege conferebantur, eandemque ob causam *dignitas coniuncta Regalis* audiēbat, quod non à Capitaneo, non à Valvasore, sed ab ipso Rege concessa erat. *Tripli* enim *ordine Fenda Longobardica erant distincta*; ita Hachenbergius, *quorum prima Imperatoria seu Regalia; secunda Capitanea seu Media, tertia Militaria simpli-*

citer dicebantur. Feuda Imperatoria omnium amplissima & nobilissima à solo Imperatore vel Rege sub Ducatus, Marchionatus, Comitatus aliisque illustribus titulis conferebantur, quorum possessores vocati Regni vel Imperii Capitanei, quia à Capite, b.e. à Rege vel Imperatore rem immediatè tenebant. Capitanea seu Media Feuda erant, que non Reges immediatè, sed Capitanei suis concedebant clientibus, nimirum Baronibus & Castellancis, qui propriè Regis vel Regni Valvassores dicuntur. Postremò Feuda Militaria fure, que nec à Rege nec à Capitaneis Regni, sed à Valvassoribus Majoribus in milites suos erogabantur. H. Etenus Hackenbergius Germ. Med. Diss. IX. de Re Feudali Vet. Germ. §. 8. Quemadmodum igitur Feuda Capitanea dicebantur, non quæ Capitaneam dignitatem annexam habebant, sed quæ à Capitaneis conferebantur: ita & Feuda Regalia potissimum dicta sunt non ob dignitatem conjunctam, sed propter concedendi rationem: Non ergo abusivè, ut putat Ludw. Tract. feud. pag. 41. Feudum Regale dicitur, quod à Rege concessum, sed propriè & moribus Longobardicis plenè congruè. Quod ipsis etiam textus feudales confirmant, 2. F. 34. si inter duos, quicunque fuerint, de beneficio Regali controversi fuerint, quorum uerque à Rege se dicit investitum fuisse, tunc causa coram eo decidatur. Ubi satis manifestè beneficium Regale dicitur, de quo quis à Rege investitus. Ut taceam obscuram fore dignitatis Regalis notionem, ni ita accipiatur.

III. Quod ad mores Germanicos attinet, triplex Vasallorum Longobardicorum ordo ab iis alienus quidem est, vox tamen Feudi Regalis non prorsus incongrua, si dextrè & ad statum Reip. Germ. accommodatè explicetur. Quid igitur sunt Feuda Regalia Germanica? dicit; que ab ipso Imperatore concessa, cum dignitate Regali. Duo igitur Feudorum Regalium requisita 1.) ut ab Imperatore alioque summam potestatem habente, 2.) ut cum Regali dignitate conferantur. Reinhard de Regim. Secul. & Eccles. Lib. I. cl. 4. cap. 16. num. 5. seqq. Bene. Quod dentur feuda in Germania, quæ proxime ab

ab ipso Imperatore conferuntur, extra controversiam est. An ergo haec omnia feuda Regalia salutanda? Non dicens. Civitates Imperiales & Nobiles immediati huc non pertinent. Cur non? quia dignitas etiam Regalis requiritur. Quid igitur quæsto te, Dignitas Regalis apud Germanos? Singularis preminentia, (ita Schwererus) & ad Reges prope accedens potestas. At nondum claram concipio dignitatis Regalis ideam. An ergo Barones proxime accedunt ad Reges? nonne inter Barones & Regem Duces intercedunt ac Comites? At, inquis, potestas Baronum proximè ad Regem accedit propter superioritatem Territorialem. Clarius ergo, Illustri Coccejo interprete: *Superioritas Territ. cum officio Regni conjuncta dignitas Regalis vocatur.* Reste id quidem, si officium Regni interpreteris, quod olim officium Regni erat. Hoc enim non nisi cum Eleitorum superioritate Territ. officium Regni conjunctum est. Non ergo nisi soli Electores hodie dignitate Regali, atque a deo feudis Regalibus gauderent, quod nemo dixerit. Quin hoc etiam dubium, quod nec Baronum nomen nomen officii fuerit, quibus nichil minus dignitas Regalis tribuitur. At, inquis, *dissert regali dignitas à superioritate T.* (Iterum audio de Feudis Imp. C. c. §. 8 cum Myler de Princ. & Stat. Imp. c. 36. n. 7.) *tum quod Regalis dignitas v. e. Comitum etiam in illos, qui aliorum Principum Landaffia Imperioque mediari tantum subjecti sunt, cadere posse.* v. R. tr. de anno 1548. §. Wiewol auch 66. Reink. de R. S. & E. I. 5. 2. n. 53. seqq. & I. 4. 14. num. 53. seqq. *quod de Territ. Superioritate predictis multi baud facile concederint, tum quod Civitates Imp. (de Nobilibus Immediatis idem multi affirmant) territoriali, quam vocant, potestate gaudeant;* Regali autem dignitate omnino desituta. Sed quis, quæsto dixerit, Comites Principum Landaffios tenere feuda Regalia? Principalia hæc feuda sunt, Ducalia, Electoralia, quemadmodum apud Longobardos F. Capitanea: si jura Regalia sua non ipsi Imperatori, sed Principi suo in acceptis ferunt. Excipis: dignitatem tamen ab Imperatore habent. Insto: Atqui & Nobili-

litas mediata dignitas est, quæ ab Imperatore conferitur. Er-
gone hæc Feuda Regalia efficit? Vides ergo, quod non sola
dignitas, et si Regalis, feuda Regalia formet. Porro quid im-
pedit, quo minus & Civitatibus Imp. & Nobilitati Immed. et
iam feuda Regalia tribuas? Ratio est, inquis, quod dignitate
Regali careant. Sed quid si negarem, quod feuda Regalia
non sint, quæ dignitatem Regalem conjunctam non habent?
Quid si negarem, Civitates Imp. dignitate Regali carere?
At, inquis, Dignitas R. est, ubi cum Superioritate Territ. of-
ficium Regni conjunctum est. Civitates verò nullum officium
gerunt. Nobiles verò Ministeriales sunt Respondeo; Civita-
tes Imp. suos olim habebant Comites dignitate Regali pollen-
tes, qui & in comitiis civitates repræsentabant. Postea cum
Comitum officium desierit, Senatus Civitatum, vel Civitates
ipſæ in ipsorum locum succedere (v. Excell. Thomafii Diff. de
Statuum Imp. Potestate Legislat. §. XII.) Ergo & in ius & di-
gnitate Regalem, Nobiles immediati, fæcior, sensu, superius
indicato dignitate Regali non gaudent: partim quod non omnia
iis, quæ Statibus jura Regalia concessa sunt, docente Ill.
Coccojo J. P. Prud. cap. XXI. §. 14, partim quod non officium
Regno, sed ministerium debent. Sed absolute loquendo, cur
non sit dignitas appellanda Nobilitas? imo cur non Regalis?
cum à Rege proxime collata. Certe hæc omnia non mori-
bus solum Germanicis, sed & genuinæ feudi Regalis Longo-
bardici interpretationi accommodata sunt.

IV. Essentialia igitur Feudi Reg. Germanici requisita
sunt 1) *Jus exercendi Regalia territoriale*, proprium quidem,
sed non prorsus independens. *Dominium Territorii utile*
dixitsem, nisi insufficiens Dominii utilis vox hoc loco vide-
retur, ubi non solum dominium, sed & Imperium, seu par-
tes summæ potestatis Feudorum Reg. Possessoribus compe-
tunt. Et quis, quæſo, dixerit, Principes nostros & Elec-
tores tantum utile terrarum suarum Dominium habere? cum
in Dominio utili tantum particula proprietatis locum habeat,
non

non tota proprietas. At inquis: Ergo ipsam feudi essentiā tollis, dum utile dominium esse negas. Atego: De feudi Longobardici essentia esse nudum dominium, utile concedo: sed feudum Regale Germanicum plus juris involuit. Non magis igitur hæc feudorum Longobardicorum indoles ad nostra feuda Reg., ac nomina Capitaneorum, Valvassorum, Castellanorum ad nostri Imperii Vasallos applicanda. Quod & juris F. interpretes passim fatentur: Dass die Chrys fürsten und Stände vor andern Vasallis anderer Orden ihre sonderbare Praeminēnzen haben/ und ihre Electoratus, Ducatus, & Comitatus jure quodam àvrougatorias cum sublīni Territorij jure in quibus tantundem, imo plus in quibusdam casib⁹ ex sententia Vuldej⁹ ad iit C. de jurisd. possunt, quam Imperator in Imperio besitzen. Ita Franzius in Consilio quodam ap. Struv. Syntagm. Jur. Feud. Cap. XIV. p. 532. Recte etiam Iterus (de feudis Imp. Cap. XXII. p. 946.) Quis unquam fando accepit, à nudo usu fructuario tantam potestatem usurpatam, pricipuasque & tantum non omnes Majestatis partes àvrougatorias jure exercitas suffiſe, uti quidem nostros Principes ejusmodi juribus quotidie uti novimus. Imò quis unquam accepit, à nudo Domino utilitatem potestatem usurpatam? Proprium vero cum dixi jus, opposui istud antiquis Francorum moribus, ubi non proprio, sed Regis nomine Regalia exercebant Beneficiarii Regales. Non tamen prorsus independens illud jus & Imperium agnosco: quo pacto nexum istum inter Dominum & Vasalum, & quasi juris restrictionem exprimere videor, qualis inter Dominum directum & utilem intercedere solet. Quamvis fortè difficile sit, istum nexum, & jus dependentiæ, ut ita loquar, accuratè determinare. Sed de hoc infra. 2.) Obligatio ad fidem & officia Imperatori & Imperio præstanta alterum requisitum est Feudi Regalis cum cæteris feudis commune.

V. *Naturalia* feudorum omnia hic evolvere, atque ad Feuda Reg. applicare prolixum foret. Quædam adjungam. 1.) Non

Non solum *jus territorii*, sed etiam *ipsum Territorium Feudi Regalis* titulo conceditur. Cum inconveniens videatur, jus concedere, non vero locum, ubi *jus exerceri* possit. Quamvis genuina rei ratio ab ipsi Germanorū, & quidem Francorum moribus, & observantia Imperiali repetenda. Non nunquam tamen aliud obtinet: dum *jus exercendi Regalia*, quidem Imperatori, *ipsum vero territorium Principi* alicui acceptum feratur, vel ad instar feudi offeratur, exemplo *Comitatus Waldeccensis*, *Landgratio Hassiae* in feudum oblati, 2.) *Omnia quoque Regalia*, seu *Territorii jura concessa* intelliguntur, quæ à *Vafalo* exerceri possunt, idque virtute *Art.* VIII. *Instrum. Pacis* §. 1. Unde in dubio eadem *jura in Feudo Regi* tribuenda, quæ imperanti summo in suis provinciis. Quotiescumque verò quædam tantum *Regalia* sigillatim, *Germ. Herrlichkeit* in non omnia conjunctim concessa sunt, si ab Imperatore, *Feuda Regalia* quidem sunt, sed tamen *impropria*. Etaftenus *Nobilium Immed. Feuda R.* ad *impropria referri* concesserim. In non *Regalibus* vero *feudis*, h. e. quæ non proximè ab *Imp. descendant*, tantum ea *Regalia* competunt quæ sunt expressa. 3.) *Dignitas* plerumque *Regalis* cum *feudo Regali* conjuncta est. Es erhöhet nichts des Mannes Wayen/ den Hahn-Lehn. Non tamen *perpetuum illud est*. Neque enim illico, *Duces Comitesve esse*, qui de *Ducatu aut Comitatu ab Imp investiti fuerint, rerum nisi Comitum Principumve dignatione à Cæsare insigniti, vel ut tales investiti sint, tantum possessores*, des Fürstenhums/ Graffschafft oder Herrschaft *Emhabere in Matriculis & publicis Imp. constitutionibus appellari, edisserit Iterus de Feud. Imp. c. III. §. IX.* Fenda tamen *Reg. Ecclesiastica dignitatem personalem* in dubio habent conjunctam. v. *Beier Posit. Jur. Feud. Tit. II.* Ceterum hoc pacto Baronum quoque *feuda Regalia* ad *Impropria* releganda, cum eorum dignitas proprie *Regalis* non sit, si definitio *Dignitatis Regalis Coceji superius tradita* locum inveniat. 4.) *Dividua* denique *Feuda Reg. Germ. ordinarie* censemur. Quamvis enim plerique

Dd.

Dd. individua esse existiment, sunt tamen, qui de Longobar-
dicis tantum illud concedunt, de Germanicis negant. Ita
Excell. Ludewig. in Not. MSSr. ad Ill. Coccoji Hypom. J.
Feud. Tit. II. §. 19. Si enim id, quod plerunque sit, regulam fecit,
Germania feuda Regalia erunt divisibilia. Nam percurrat quis o-
mnes Germania Ducatus, & ni in omnibus, in plerisque tamen inven-
iet, eos esse dividuos. Plerique enim inter plures, quam unum di-
visi sunt Principatus. Indo est, quod ab hac Regula Aurea B. verba
tit. 20. §. Darum wellen mit recipiant Electoratus. Id quod quam
optimè demonstrat, Ducatus fuisse olim etiam dividuos. At vero
Privilegia firmant legem, ut exceptio regulam.

Th. II.

Varia sunt Feudorum Regalium genera. 1. Alia
sunt Ecclesiastica, alia secularia. Illa dicuntur Scepter-
Lehn/ quod sceptro vel baculo olim investitura perage-
batur, & Archiepiscopatus, Episcopatus, & Abbatias
complectuntur. Hæc vero Fahnen Lehn/ quoniam
vexilla, provinciarum symbola intercedebant: qualia
sunt Regna, exemplo Bohemiae Electoratus, Archi-Du-
catus, Ducatus, Principatus, Marchionatus, & Land-
graviatus, Comitatus, Baronatus, addo & Civitates Im-
periales, & Nobilium Immediatorum feuda. Cujus di-
stinctionis usus in eo cernitur 1. quod de Feudis secula-
ribus solus Imperator, de Ecclesiasticis vero etiam Papa
quoad Ecclesiasticam dignitatem, Imperator vero quoad
Regalia investiat. 2. quod in Feudis secularibus succes-
sio, in Ecclesiasticis Electio & Postulatio obtineat.

Th. III.

Illa etiam Divisio attendi meretur, quod Feudum
R. II. vel Novum est, quod Vasallus primus sibi & descen-
dentibus suis acquirit; vel Antiquum, quod ab aliquo ad-

C scen-

scendentium acquisitum. Imo hoc observandum, quod Novum nonnunquam certo respectu Antiquum censatur, exemplo Ducatus Magdeburgici, Halberstadiensis & Mindensis Principatus, quae nova quidem sunt feudata domui Electorali Brandenburgicæ, sed antiqua tamen certa ratione censentur, eo quod in locum Pomeraniæ data sunt. Præterea non solum pactis, sed etiam aliis modis antiquum vim novi, & novum vim antiqui induere potest. In Germania tamen Fenda Reg. uti cetera, fere in dubio temperantia præsumuntur. Usus vero distinctionis patebit 1) in Successione: Nam in feudo novo etiam Regali non succedunt fratres ipsorumque descendentes, bene vero in antiquo. 2) in Alienatione. Nam F. novum alienari potest sine consensu cognitorum, non vero antiquum. 3) in Ammissione. Nam Feudum novum amittit tota familia, sed antiquum tantum delinquens, ipsiusque descendentes non verò Collaterales, feloniae non participes, neque in privationem consentientes. Exemplo Palatinatus, quem proscripto Friderico domus Neoburgica ut feudum antiquum merito petiit.

Th. IV.

III. Divisio Feudorum Reg. in Propria & Impropria ex communi Feudorum natura facilis est ad intelligendum.

Th. V.

IV. Tralatitia est Feudorum distinctio in Masculina & Feminina seu Promiscua, quæ in Feudis quoque Regalibus, maxime ubi de successionibus agitur, usum suum invenit. Feminina vero hoc loco sunt, non quæ à fœ-

à fœminis primum acquisita sunt, sed quæ acquiri & per illam in maritum transferri possunt. Evidem si ad originem species, Francorum temporibus Beneficia ac Muneris Regia neque à fœminis neque per fœminas acquirabantur, quod tamen postea inde ab Ottonum temporibus fieri cœpit, atque usi invaluit, vel privilegiis etiam ac pactis inductum est. Nihilominus hodie etiam pronunciandum videtur, Feuda Regalia masculina potius quam fœminina esse, haec tenus quidem, ut fœminæ non nisi deficientibus omnibus masculis in subsidium succedant: ei vero, qui, vel cum masculis simul, vel deficiente mascula prole, exclusis agnatis, fœminas succedere asserit, illud probandum sit.

Th. VI.

Denique distinctio V. Feudorum in *Data* & *oblata*, an in feudis quoque Regalibus locum inveniat, dispicendum. Communis euidem sententia fert, Feuda Germ. Regalia data potius à Regibus & Imperatoribus, quam oblata à Principibus esse. Sunt tamen, qui oblata eadem censem, originemque ab extincta domus Carolinæ temporibus repetunt. Quæ opinio cum nondum extra controversiam posita sit, nihil definio, tamen non nego, inter Feuda Regalia, inveniri Feuda oblata, sed pro quo in dubio præsumendum sit, in medio relinquo.

Th. VII.

Conferre beneficia Regalia nova, non secularia tantum sed & Ecclesiastica, si quæ conferenda sint, solus Imperator, consensu Statuum jure potest: quamvis circa Ecclesiastica pars juris Pontifice erupta sit. Jus investiendi de feudis Regalibus solus Imperator exercet,

C 2

non

non tamen suo tantum, sed & Imperii nomine. Ecclesiasticae quidem investituræ jus sibi Papa arrogavit, at istud intra solius ordinis ac Muneris Ecclesiastici limites conclusum est: Investitura de Territoriis pariter ac Regalibus integra Imperatori mansit. Regi Romanorum, superstite Imperatore, nisi eodem permittente, illud jus exercere non licet: sicut nec Vicariis Imperii competit. A.B.c. 5.

Th. VIII.

Capere Feuda Regalia omnes possunt, quotquot fidem suam Imperatori & Imperio obligare & possunt & volunt. Non masculi tantum, sed & feminæ, quæ non solum successionis jus sæpe acquirunt, sed etiam administrationis, exemplo viduarum & Abbatissarum: non solum Cives Imperii, sed & exteri, ut Regum Daniæ atque Sueciæ, & nuperrium Ducis de Marlborough exemplum confirmat. Etiam Pupilli ac Minoris, quibus Tutor hoc nomine vel Testamento vel Legge, proximus nempe agnatus, constituitur, isque nomine ipsorum in verba Imperatoris & Imperii jurat. Controversiam de Tutela Electorali, an Testamentaria, an sola legitima locum habeat, nunc meam non facio.

Th. IX.

Res, quæ Feudorum Regalium nomine Vasallis Imp. conceduntur, partim *Corpora* sunt, vulgo corporales, hoc est, *Territoria*, Electoratus, Ducatus, Comitatus &c. item Archi-*Episcopatus*, *Episcopatus*, *Abbatiae*, titulo insignia; eaque cum omnibus suis accessionibus, seu, ut diplomata loquuntur, cum omnibus emolumenis & pertinentiis, qualia sunt, urbes, castra, populi, milites &c.

Für.

Fürstenthum / Land und Leuten / samt allen Ein-
und zugehörungen: partim jura, vulgo res incorpo-
rales, hoc est, *Regalia*, seu jura summæ potestatis, digni-
tates, & privilegia, quin & officia Regni, qualia hodie Ar-
chi-officia Electorum. Alle und jede Obrigkeit/Over-
ste und niederste Gerichte/ Regalien/ Herrschaften/
Ehre und Würden ic.

Th. X.

Non omnia Imperii bona ac Territoria promiscue ab Imperatore feudi loco dari possunt. Namque feuda majora imperio aperta Imperator nemini sine consensu Electorum dentu in feuda se collaturum, sed imperio ad fiscum restaurandum reservaturum promisit. Quæ tamen promissio, uti Electoribus fieri solet, ita dubium non est, quin suo consensu iidem bonorum istorum infeudationem confirmare possint. Quamvis hujusmodi casus brevi fortassis sperandi non sint. Illa etiam bona quæ Electoratu incorporata sunt, hoc pacto dari prohibentur: ne scil. Electoralis Dignitatis splendor, immunitis bonis, simul ipse imminuat. Soli Electoratus aperi novis reddi Electoribus Carolina Sanctione jubentur. Quamvis & hic duo casus excepti. Electoratus enim Bavanicus extincta Linea Wilhelmina, expirare, non alii rursus conferri debet, Partitionis Westphalicae lege (art. 4. §. 9.) Regnum Vero Bohemiæ, deficientibus omnibus successoribus, non Imperatori & imperio aperitur, sed penes Bohemos erit novi Regis & Electoris Electio, ejusdem Sanctionis Aureæ decreto (c. 7. §. fin.)

C 3

Th. XI.

Th. XI.

Ad modos acquirendi originarios referunt partim
Fendi aperi novam collationem, partim mediati in imme-
diatum, seu non Regalis in Regale, creationem. De priori
jam Thesi præced. actum, posteriorem vero casum ra-
tissime forte extiturn recte judicant.

Th. XII.

Ex dictis facile intelligitur, quoisque *Expectativa*,
quam vocant, locum habere queat in Feudis Regalibus
quippe quæ est promissio feudi de novo conferendi, in
casum si imperio aperiatur: Siquidem huic juri ab Im-
peratoribus renunciatum est. Scilicet non nisi in solos
Electoratis jus expectandi concedere licet, accedente
tamen Statuum consensu. Quod adeo à successore Im-
peratore confirmari ac adimpleri fas est.

Th. XIII.

Præscriptione etiam Feuda Reg. acquiruntur, ad
quam perficiendam nil nisi possessio per tempus imme-
moriale, non titulus, non bona fides requiritur. Non
solum enim difficiles reddit probationes tantum tem-
poris spatium, incertumque est, bona an mala fide, justo
an injusto titulo quis possideat. Sed & derelictio tan-
to intervallo ius suum non vindicantis recte præsumi-
tur.

Th. XIV.

Inter derivativas acquirendi rationes maximi o-
mnino momenti est *Successio*. Quæ cum vel ab intestato,
vel testamento, velex pacto competere possit: hæc in
genere ratio obtinebit: 1. Quicunque à primo acqui-
rente sanguinem non trahit, aut simultaneo investitus
non

non est, ille nec in Feuda Reg. succedit. 2. Primo ordinum masculi, modo sinthabiles, nec illegitimi, aut adoptivi, in Territoria ac Feuda Reg. succedunt. In legitimatis quid usu receptum sit, definire vix audeo, inveniens in hac re opiniones communes contra communes. Cum vero expressa Imperii lege id definitum haud sit, insistendum juri communis videtur, quod per subsequens matrimonium legitimatis omnia jura successionis tribuit, quod eo magis in feudis Regalibus obtinebit, quod illorum possessores ad civiles matrimonii regulas non sunt obstricti, & declarata conjugalis affectio erga matrem partum etiam antea editum vel conceptum, in statu naturali satis legitimum reddit. 3. Ex impari matrimonio nati à successione non prorsus excluduntur, quamvis matrimonium ad Morganaticam qua tale excludat, quippe expresse hac fine contractum. 4. Extinctis masculis sceminae in subsidium vocantur. Quæ tamen hoc casu Cæsaris aut ordinum provinciarium consensum in contrahendo matrimonio adhibere non coguntur, nisi usi locorum hujusmodi quid introductum fuerit. 5. Deficientibus descendantibus non ad Ascendentes regulariter, sed ad collaterales, à primo acquirente sanguinem trahentes, vel simul investitos, Feudorum Regal. successio devolvitur. 6. Ubi jus Primogeniturae obtinet, adeoque in Electoratu, extincta primogeniti stirpe, fratri secundo geniti filii præferuntur fratri tertio genito, seu proprietor lineæ excludit potiorem ætate & gradu; multo magis gradu æqualem, sed linea remotiorem, seu fratrum filii succedunt in capita, non in stirpes in feudo dividuo: eò quod proprio jure

jure succedere videntur. 8. Deficientibus fratribus fratrumq; filiis proximus quisque agnatus, qui ex eadem, ex qua defunctus, linea est, succedit in infinitum. 9. Moribus Saxonum simultanea investitura, *Die Mitbelehnung* invaluit, quæ idem jus succedendi in Feuda quoque Reg. extraneis æque ac agnatis solenniter tribuit, vel jus agnatis quæsitum confirmat.

Th. XV.

Successio uti toties obtinet, quoties Feudum Regale vel morte, vel delicto, vel refutatione apertum est. ita in casu refutationis vel delicti Cæsarem respiciunt, ubi successores supersunt, si jure suo uti velit Cæsar, fructus feudi sibi servare potest, quamdiu refutans vel delinquens vivit; post mortem demum refutantis aut delinquentis illud legitimis successoribus conferre tenetur.

Th. XVI.

In complurimis Feudis Regalibus *Jus Primogeniturae* locum habet, cuius originem jam inde à Seculo X. repetunt. In Electoralibus illud publica Imperii lege constitutum, eademque in Austraciâ, nec non utraque Hasiacâ domo confirmatum est. Fundamentum potissimum Pacta Familiarum domestica, Testamenta etiam, & ut alii volunt, investitura Imperatoris, consuetudo denique ac Præscriptio præbent. Hujus juris beneficio Primogenitus in feuda Reg. solus succedit, etiam si ante dignitatem patri quæsitam sit natus. Cumque hoc pacto omnia consequatur, quæ ad Territorium Dignitatemque illustrem pertinent, præter bona defuncti patrimonialia, nisi de-his quoque pactis provisum: hinc onera

onera quoque territorii eidem ferenda, & obligationes
subeundæ, quæ alias successori illustri qua tali incumbunt.
Hinc æs alienum solvendum, publico nomine contra-
etum, & in publicos usus conversum, hinc filiæ defuncti
alendæ & dotandæ, vidua dotalitio instruenda, & quæ
Imperio debentur præstanta, non tamen nisi ex Domaniis
ac publicis territorii bonis. Ceterum iuri suo in gra-
tiam fratri renunciare potest primogenitus, non vero
in præjudicium filii, quippe qui non jure transmissio, sed
proprio vocatur.

Th. XVI.

Ceteris liberis masculis, Jure primogenituræ qui-
dem, non vero successionis spe exclusis, debetur *Apana-*
gium quod in certa pecunia, veletiam prædiorum ac re-
dituum portione consistit, iisdemque ad honestam vitæ
sustentationem, & tuendam familiæ dignitatem à Pri-
mogenito ex domanio, non suo patrimonio, præstan-
dum. Cum vero publica territorii jura soli Primogenito
cedant: hiac Apanagiato nec jus exercendi Regalia, ni-
si quædam expresse concessa sint, nec jus Comitorum
aut Statuum Imperii, sed sola privata dominii jura com-
petunt, idemque imperio fratri Primogeniti subjectus
est. Titulis tamen omnibus, & insignibus, quibus primo-
genitus, utitur propter spem succedendi, eadem dignita-
te illustri conspicuus. Quin & plena territorii jura Apa-
nagiato dari posse, rectè a Doctoribus observatum est,
quamvis non feudi Regalis nomine; cum solus Primo-
genitus investituram hoc nomine ab Imperatore asse-
quatur.

Th. XVII.

Sunt & alii successionis modi in Germania usu re-
cepti.
D

cepti. Divisio certe inde ab origine Francici Regni, non solum in ipso regno atque Imperio, sed & in territoriis Ducum atque Comitum passim errore politico introducta, atque ex ratione Status ab Imperatore tolerata est. Eaque postmodum ita usu invaluit, ut regulæ instar sit, territoria masculis heredibus cedere ex æquo, donec per expressa pactionis documenta proberetur contrarium. Non uniformis tamen est hæc dividendi ratio ubiq. Non nunquam territorium manet integrum, sola administratio & emolumentorum perceptio inter successores feudorum Reg. dividitur. Nonnunquam vero ipsum territorium in partes abit, & singuli heredes suas rationes ab invicem separatas habent, quilibet investituram ab Imperatore seorsim perit, & cuique adeo peculiare jus exercendi regalia nascitur, saepius etiam peculiare in comitiis votum. Nonnunquam territorium inter plures successores indivisum manet, sed vel communi nomine administratur vel uni soli administratio committitur, id que vel ita, ut senior tantum administrator sit, vel ut qui pares gradu sint, alernis vicibus praesideant.

Th. XIX.

Hoc Electoratus peculiare habent, quod dividi Carolina sanctione prohibentur, solique masculi primogeniti in eosdem succedunt, modo habeant requisita legibus fundamentalibus probata. Deficientibus descendientibus ad proximum agnatum Electoratus devolvitur, quæ proximitas non ex æstate, sed linea propinquitate æstimatur. Eadem succendi ratio etiam in Bohemiæ regno obtinet. Quodsi eveniat, ut qui Electoratu jam fruitur, ad alium quoque agnationis jure vocerur, non videtur eidei successio deneganda. Quin filio Electoratum cede-

re

re poterit, cum neutri casui legis prohibitio obstet.

Th. XX.

Testamenta condere Feudorum Reg. domini non prohibentur, modo ne quid contra publicas Imperii leges aut pacta familiae admittatur. De Electoratibus ergo in præjudicium primogeniti quidquam disponere haud licet. In feudis vero dividuis eatenus locum habet testamentaria dispositio, ut antiquus possessor territorium inter agnatos dividere; ac uni præ alteri gratificari possit. Neutquam vero extraneum heredem instituere licet, cum ad jus sanguinis successio lege fundamentali sit restricta: quamvis in Archi Ducatu Austriae ultimo possessori hoc quoque licere contendant.

Th. XX.

Successio etiam ex pacto in Germania feudis Reg. obvia est. Cum primis *Pacta Confraternitatis* hoc nomine celebrantur, quorum exempla hodieque inter inclitas Gentes Borussico-Brandenburgicam, Saxoniam & Hassiacam extant. Ineuntur autem hujusmodi pacta inter duas pluresve familias Principum non solum atque Comitum, sed & Nobilium Immediatorum hac lege & fine, ut una familia extincta superstes in feudum ac territorium vacuum succedit. Publicè sunt approbata, ut vel Capitulatio Leopoldina docet, unde de valore ipsorum hodie frustra dubitatur. Nihilominus ut valida persistant, præter consensum Familiarum pacientium, non tantum Imperatoris, sed & omnium Statuum dubito, an & subditorum, consensus necessarius videtur: quoniam publica Imperii causa hic agitur. Positis his requisitis, non tantum circa Principatus, aliaque ejus generis feuda, sed & Electoratus, valide pacisci, & vel in integrum territorium

D 2

rium

rium, vel territorii partem; unde Pacta universalia vel particularia: vel mutuam seu bilateralem, vel alteri saltem parti, seu unilateralem successiōem scribere licebit. *Ganerbinatus* etiam hoc spectat, qualis societas tamen non ad successionis tantum, sed & alia jura atque officia communicanda dirigitur.

Th. XXII.

At hujusmodi successiones in Feudis Ecclesiasticis non obtinent. Cum autem olim constitutio Episcoporum in Germania Regis vel Imperatoris, cleri & populi arbitrio, investitura etiam per baculum & annulum ab Imperatore facta fuerit: postea inde ab Henrico IV. temporibus Imperatorijs suum per varias Pontificum artes, conniventibus Imperii Statibus, eruptum, & ad solum clerum, h.e. partim ad Pontificem, partim ad Capitulum, translatum est. Hodie igitur Episcopi Pontificii constituantur *Electione*, dum habilis ab omnibus Canonicis, vel majori earum parte, juxta juris Canonici praeceptum eligitur, & *Postulatione*, quando is, qui per Canones eligi non poterat, a superiori petitur. Deinde sequitur *Confirmatio* Pontificis, qui aliquando etiam de Canonibus dispensat. Protestantes Episcopi, qui superant, quales sunt Lubecensis Merseburgensis, Naumburgensis, Misnensis, Postulatione vel Electione creantur cessante Pontificis confirmatione; quamvis & hi ferè hereditarii facti. Postulata autem & electi statim ab Imperatore de feudis Reg. suis sunt investiendi. In Civitatibus etiam Imperialibus *Electio* tantum locum habet.

Th. XXIII.

His omnibus acquirendi Feuda R. modis ac causis tandem *Investitura* solenniter accedit, quæ à Longobardis

dis ad Germanos translata videtur, cum & nomine Germani in sua lingua rem exprimente destituantur. Ea hodie magis nudæ ceremoniæ rationem, quam veræ collationis virtutem habet, sive prima sit, sive renovata, cum investiendi jam antea vel ex originaria vel derivativa caussa Feudorum Reg. dominis sint, atque juris territorialis cum omnibus annexis participes. Nihilominus ad conditionem habendi spectat, eo quod publica Imperii lege recepta est, & *Prima* quidem, quæ novam feudi aperti collationem comitatur, forte traditionis symbolicæ, *Renovata* vero confirmationis loco existimanda. Necessaria autem est Investituræ renovatio, & Vasallo Regali intra annum petenda, quoties vel Imperator mutatus est, vel ipse Vasallus, qui territorium successione aut electione obtinuerit, & quidem intra annum petenda sub pena amisionis. Non tamen in persona Renovatio necessariò petenda, sed per Procuratorem fieri potest: absentiam tamen semper excusare oportet. Sæpius etiam dignitas requiritur certæ personæ. Unde Elector Saxonie feuda Lusatiae non nisi Barone aut Comite mandata. io recipit. Cæsar etiam ad Investituras petentibus præstandam obligatus est per Capitulat. Locus vero que ac modus ab ipsis arbitrio pendet. Quamvis Archiduces Austriæ & Reges Bohemiæ extra territoria sua eam petere non teneantur. Majora Regalia ipse Imperator conferit, scil. Electoratus, Ducatus, Principatus: Pares Curiae more Longobardorum hic non adhibentur, Consiliarii nonnulli adfistunt. Comites vero investiuntur in Consilio Imp. aulico, Civitates Imperii per Commissarium Imperii. Inter symbola olim gladius sceptrum & vexillum erat. Per gladium regna, per sceptrum Ecclesiastici-

siaſtici Principatus, profaniper vexillum conterebantur. Sed noviffimis temporibus valde rarus ſceptri & vexilli frequens gladii & promiscuus uſus fuit. Non tamen niſi prævia tria genuum flexione ad Imperatorem accedit Vasallus, investituramque demifſe petit. Deinceps ſtrictum gladium, quem Cæſar porrigit, exouſculatur, fidemque ſolenni ſacramento Imperatori & Imperio obligat, & prolixa officiorum promiſſione fungitur. Quibus ita peractis litteræ investituræ ab Imperatore Vafallo traduntur, Cæſari vicifim antapocha redditur, certaque pecuniae ſumma vel taxæ vel donativæ nomine Imperialis auſtæ officialibus ſolvitur.

Th. XXIV.

Jam quid *Juriſ Imperatori & Imperio* in Feudis Reg. competat, quid *Vafallo*, quæquæ mutua ſibi officia debeant, diſpiciendum. Certe dominium directum Provinciarum feudalium Cæſari neutiquam tribuendum videatur, cum nihil proprietatis in iis poſſideat. Cæſari vero una cum Imperio rectius forte dominium directum aſſeritur: quamvis æquæ incommode fortassis Feuda R. ad regulas dominii directi & utilis Longobardici vel potius Romani, ac Status Reip. Germ. ad formas Aristotelicas exigetur. Nec Vasallis etiam Regalibus ſola dominiū utilis notio congruit: cum plusquam dominium utile comperat, ut ſuperius oſtenſum. Nec abſurde *Knichenius* dixit, *Feuda Imperii Principibus illuſtriori & Regio quodam dominii jure concedi*. Rectius igitur fortaffe Imperatori & Imperio jus quoddam imperii independens, ac ſupériorem potestatem, Vasallis vero ſeu Statibus jus quidem proprium, ſed dependens, ac potestatem certa ratione ſubordinatam vindicavero. Atque illius quidem juris-

juris; quod Imperatori & Imperio afferui, hi fere sunt effectus: Feudi Electoralis aperti nova collatio, Investituræ petitio atque concessio, consensus Imperii in certis successionibus pariter ac alienationibus necessarius, judicium denique Imperatoris & Imperii à Vasallis agnoscendum.

Th. XXV.

Effectus vero juris Vasallo competentis sunt primo facultas omnia monumenta & fructus ex jure exercitioque Regalium provenientes percipiendi. Deinde facultas subinfeudandi alios iterum de suis feudis Reg. Fortasse hoc referendi septem clypei die sieben Heerschilde qui varias feudorum classes sibi invicem subordinant. Sed modus tamen ac limites subinfeudationis statuendi, nequid sit in prejudicium Imperii. Facultas refutandi etiam in manus Imperatoris vel proximi successoris Vasallo integra est, modo Imperium nihil detrimenti inde capiat. Facultas alienandi & oppignerandi non prouersus prohibita, illius tamen, cum in tortu territorii alienatione Cœstatis omnini ac Statuum consensus necessarius esse videatur. Praefecturas tamen quasdam proprio arbitrio oppignorare Statibus facile concedetur. Sicut & alienationes inter Confessus, ut ita loquar, facilis locum habere putaverim, quam inter Statum atque Extraneum. Verbo: Quæcumque non vergunt in prejudicium aut detrimentum Imperatoris atque Imperii, illa omnia circa feuda Regalia facere possint Vasalli,

Th. XXVI.

Denique ad effectus ex contractu feudal, Imperatorem Imperiumque inter ac Vasallos Imp. celebrato, resultantes spectat mutua fides & officia vel servitia à Vasallis praetenda. Servitia ista in militaria & non militaria vulgo dispescuntur. Ad non militaria referunt officia Imp. Electoralia. Servitorum militarium loco nominatur *Expediția Romana*, cuius cauila olim Cœstari Romam proficienți comites sc̄e adjungere Vasalli, vel boſtenditiorum pretio militaria servitia redimere cogebantur. Hodie certum militum numerum das Reichs contingent vel pecunie summam, die Mōmer Monacheti ad sustinenda militia onera debent. Quanvis hujusmodi Imperii onera non feudorum solum nomine, sed & allodiorum, si qua sint, imperio debere videantur. Quantus vero numerus, quanta summa exigenda, illud vel ex ipsa imperii matricula, vel etiam peculiari decreto definitur.

Th. XXVII.

Modi amittendi & extinguendi Feuda Reg. etiam varii sint. Amittuntur enim primum spontanea abdicatione, quæ & casum mutante. Religionis à Statibus Ecclesiasticis factæ complectitur. Amittuntur etiam Alienatione expressa vel tacita per præscriptionem: sed de utraque superius actum. Amittunt-

mittuntur ob delictum, cumprimis Felonie contra Imperatorem & Imp. commissis dum per Bannum Imperii jure Civitatis Germanicae excluduntur. Amituntur denique morte. Extinguntur vero non solum modis his omnibus, si successor desit, sed & exemptione, si Vasallus haftenus Imperii summum imperium nanciscatur, vel externo cuidam Imperio aut alii Statui subjicitur.

Th. XXVIII.

Judicium feudorum Regalium, ad analogiam Juris communis duplex afferi potest, Civile & Criminale. Illud ad controversias de meo & tuo in feudiis ob vias spectat: hoc vero tum obtinet, ubi de amittendo ob delictum feudo, cum privatione dignitatis & sapientiae vita conjuncto agitur. Jus utriusque Judicii sine dubio illi competit, qui & supremum habet feudorum Regalium, dominium seu Imperium, h. e. Cæsari & Imperio. Exercitum vero hujus iuris inter Reserved Cœsari referunt, atque adeo judicio Imperii Antlico vindicant. Sed rectius forte antiquum Jus Principianum das Fürstenrecht quod olim obtinuit, adhuc hodie locum habere afferitur. Singulare illud Privilegium Principibus Germanorum ab antiquo competens esse dicitur, vi cuius Imper. in causis, que ipsi Principes, avarumque bonorum habentem, aut vitiose concurrent, in Cœchern der eines Fürsten Land Leutei Fürstenbum und Lehnschaft oder Leib und Ehre betreffen, absque consilio & votis ordinum Imperii tanquam Parium Curia, cognoscere nequent. Non ergo solum Proscriptio aliquius Principis, sed & ceteræ controversiae de feudis R. in Comitiis à Cæsare tractandas, & consensus ordinum vel omnium vel saltem Electorum adhibendus. Cum in causis feudorum Regalium non minima Imperii falsus vertetur. In causis tamen feudorum Minorum, quales sunt Nobilium Immediatorum Cœsare cum Camera concurrentem Jurisdictionem habere ipsa praxis & experientia docet.

T A N T U M!

COROLLARIA.

- I. **N**ec summos Imperantes non nisi jus decori & jus potentiae seu gladi obtinere, exercitii gratia defendam.
- II. Reservata Imperatoris dicuntur, non quæ soli competunt, sed quæ à solo exercentur, neque adeo superioritati ordinum Territ. sunt opponenda, nobilis existimandus, atque ut talis existimetur, jure exigere potest.
- III. Nobilis ab Imperatore vel Rege creatus etiam in exterris Regnis nobilis existimandus, atque ut talis existimetur, jure exigere potest.
- IV. L. 29. C. ad L. Jul. de adult. nihil iniqui, aut libidinosa Philosophia Morali adversi continet.
- V. Adolescens, qui veniam ætatis à suo Principe impetrat, sed in exteriori potestate loco contrahit, restitucionem in integrum petere nequit, quamvis secundum hujus loci statuta sine venia ætatis nondum majoranis esset.

ULB Halle
001 512 765

3



5b

ND 78



Farbkarte #13



F. 14. num. 2.

17

THESES INAUGURALES
DE

STATU REIPUBLICÆ GERMANICÆ

FEUDALI.

ET FEUDIS REGALIBUS,

QVAS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEB. GUBER-
NATORE, RELIQA,
CONSENTIENTE ILLUSTRI JCTORUM ORDINE,
IN REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO BODINO,
REGIM. ECCLES. IN DUCATU MAGDEB. CONSIL.
REGIO GRAVISSIMO, ET PROF. JUR. CELEBERRIMO.
PATRONO AC PROMOTORE SUO VENERANDO.

PRO LICENTIA

Summum in JURE Gradum, atque Privilegia DOCTORUM
rite consequendi,

d. IN AUDITORIO MAIORI
Octobr. A. MDCCVII. horis ante & pomeridianis
Publico Eruditorum judicio submittit

AUTOR

M. DIETERICUS HERMANNUS KEMMERICH,
MARCHICUS.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. T.

CONFRED
UNIVERS.
ZV HALLE